DE COGNITIONE SUI
AD PROMOVENDA STUDIA,
ANTONII LAVAGNOLI
P. P.
DISSERTATIO.

Accedunt BONNEVALLII *Animadversiones in primam ætatem hominis.*



PATAVII MDCCLXIV.

EXCUDEBAT JO. BAPTISTA PENADA.
Superiorum Permissu.



Qui Patriæ mansura dedit monumenta per Ævum.

Jo. Mengard. delin. Car. Calcin. Sculp.

MANIBUS

MARCI FOSCARENI.





QUÆ VIVENTI OBTULISSEM, EA TIBI NUNC SISTO, MARCE, IMMORTALITATEM ADEPTO. DEHORTABATUR TENUITAS REI, SUA-

DEBAT FORTUNA, QUAM SUM IN DICENDO NACTUS, AUDIENTIBUS PRINCIPIBUS IN REPUBLICA VIRIS, ET POTISSIMUM IIS, QUOS TU COMPLECTI BENEVOLENTIA SOLEBAS; TANTAQUE AUSPICIA REI LOCO POSITA DECERE TE POSSE MAXIME VIDEBANTUR. TALIA VOS FORTASSE NON TANGUNT, QUI PERPETUUM CUM SUPERIS ÆVUM AGITIS; MULTO VERO TE MINUS, CUJUS ETIAM MORTALIS VITÆ RATIO NESCIO QUID MAGNI, AC PROPE DIVINI PRÆSEFEREBAT. SED NOS COGITARE, ET LOQUI PRO MODULO NOSTRO DEBEMUS. CÆTERUM QUÆ REFUGIENTEM ANIMUM VICIT CONFIRMAVITQUE AD HÆC TIBI QUALIACUMQUE INSTITUEN-

TUEN-

TUENDA, COGITATIO UNA FUIT. MAXIMIS SCILICET BENEFITIIS, QUIBUS ME, ET PARENTEM MEUM CUMULASTI, NON ALITER RESPONDERE ME POSSE, QUAM EORUM PUBBLICA PROFESSIONE, QUÆ, AUSPICE TE, NON DUBITO, QUIN LUCTARI VALEAT CUM TEMPORE, ET SERÆ ADMODUM POSTERITATI ESSE PERENNE VELUTI DOCUMENTUM. COMMODE PORRO ACCIDIT, UT PER HOC IPSUM APPAREAT COGNITIONEM, DE QUA DISSERO, MIHIMET NON DEESSE, IN EA POTISSIMUM PARTE, QUÆ GRATI ANIMI OFFITIUM JUBET, ET IN QUA EXCOLENDA NON TAM SITA HOMINI LAUS EST, QUAM IN NEGLIGENDA VITUPERATIO. HIC PRO VULGARI DICAN-

tium more possem, et Majorum tuorum, et tuas retexere laudes. Sed illæ multæ licet, et magnæ sint, tuo splendore victæ quasi evanescunt. Peculiares vero tuas si persequar, cognitionem mei amisisse penitus videar. Si enim cum adhuc in vita esses, exæquare homines tua facta dictis aut scriptis non potuerunt, prius laudando defessi, quam Tu laude digna faciundo, superaddita Tibi nunc immortalitatis luce quis possit? Audere quidem multi poterunt, sed non assequi. Audeant sane, quandoquidem conatus ipsi in laude aliqua ponendi sunt.

SUNT. MIHI SATIS EST MEMORARE UNUM, QUOD TOTIUS A TE ACTÆ VITÆ, ET TESTIMONIUM AMPLISSIMUM, ET LAUDUM OMNIUM COMPENDIUM JUDICO. ILLUD NEMPE SENATUSCONSULTUM, QUO DECRETÆ FUERUNT PRO TUA QUASI COMMUNI SALUTE SUPPLICATIONES. NON PLACUIT SUPERIS, UT RESPONDERENT VOTIS; SED HOC IPSO, QUASI DIXERIM MEMORANDÆ MAGIS, DIVINÆ TANQUAM INDICES EXPLETI JAM A TE MUNERIS IN TERRA, ET SUSCIPIUNDI EX REGIONE ALTERA; IN QUA SCIPIO UT AFRICANUM SUUM AD TUTANDAM REMPUBLICAM CONFIRMARET, CERTUM AC DEFINITUM LOCUM, AJEBAT, ESSE OMNIBUS, QUI PATRIAM

CON-


CONSERVARINT, ADJUVERINT, AUXERINT, UBI BEATI ÆVO SEMPITERNO FRUANTUR, NEQUE IDCIRCO REGENDORUM HOMINUM CURAM INTERMITTERENT. FRUERE IGITUR HAC TUA BEATITATE, MARCE, ET MERITIS IN PATRIAM, ET SUMMA IN DEUM RELIGIONE PARTA; QUÆ SI TE ADHUC RESPICERE HUMANA SINIT, IN EO QUOD RELIQUUM JACTURÆ EST, HABEMUS, QUO SOLARI NOS ALIQUA EX PARTE POSSIMUS. SUPPETUNT AD PASCENDOS OCULOS SIMULACRA TUI, ET IMAGINES, QUÆ QUAMDIU MATERIES, UNDE FINGUNTUR, ET SUUS STABIT HONOS ARTIBUS, NON DEFICIENT. MANENT DICTA, SCRIPTAQUE TUA IN ÆTERNITA-

TE

TE MANSURA TEMPORUM ET FAMA RERUM, QUORUM SUAVISSIMIS QUASI PRÆSTIGIIS QUANDOCUMQUE LIBUERIT, TE POSSUMUS VELUTI PRÆSENTEM INTUERI, HORTANTEM SEQUI, ET PRÆCIPIENTI PARERE. IPSAM TUI ANIMI FORMAM NON ÆRE, NON MARMORE, NON ALIA QUAPIAM RATIONE EXPRIMENDAM EXHIBENT MORES FILIORUM OPTIMI FRATRIS TUI, SEBASTIANI, JACOBI EQUITUM, ET NICOLAI, QUI NON IDCIRCO TUAM SIBI ARROGANT GLORIAM, SED ILLA TANQUAM LUMINE UTUNTUR, QUO SUA IPSI FACTA CLARIORA REDDANT. AD HÆC: RELICTUM A TE LOCUM OCCUPAT IS, QUEM DATA OPTIONE FUISSES TIBI MA-

XI-

XIME SUFFECTURUS. ADEO ET TUI, ET REIPUBLICÆ NOVERAS AMANTISSIMUM. SI MAJORE POSSES FELICITATE FRUI, HÆC MARCE TUAM FELICITATEM AUGERENT.



AD

TRADUZIONE.

ALL' OMBRA
DI MARCO FOSCARINI.

Ciò che offerto io t' avrei, o Marco, *se fossi ancor trà viventi, lo presento a te ora già fatto immortale. Sconfortavami a que-*

sto

sto la tenuità della cosa ; mi animava la fortuna , ch' io ebbi di recitarla alla presenza dei principali Uomini della Repubblica , e spezialmente di quelli , cui tu solevi sopra gli altri aver cari ; e francheggiato dalla grandezza di tali auspizj , sostituiti come in luogo dell' opera , pareami che l' offerta potesse esser degna di te. Sì fatte apparenze Voi perpetui Abitatori del cielo peravventura non toccano ; te poi molto meno , dal cui contegno anche nella vita mortale non so che traluceva di grande , e quasi divino. Ma noi non possiamo non pensare e parlare , che da mortali. Un solo pensier per altro fu quello , che vinse le ripugnanze dell' animo mio , e confortollo a intitolarti questa mia fatica , qual' ella si sia ; cioè

il

il non potere in verun altro modo corrispondere a' sommi benefizj de' quali hai me ricolmato e il Padre mio, se non col palesarli pubblicamente. Il che non dubito, che pel tuo favore non basti a far fronte al tempo, e servir come di monumento perpetuo a tutte l' età future. Ed è ben mia ventura, che per questo stesso apparisca, come la Cognizione *della quale ragiono, a me medesimo non manca, in quella parte singolarmente che il dovere d' un animo grato richiede; e nel coltivar la quale non tanto viene all' uomo di lode, quanto di biasimo nel trascurarla. Quì, il costume seguendo di coloro che dedicano, potrei e le lodi de' tuoi Maggiori ridire, e le tue. Ma quelle, se ben molte e grandi sieno, vinte dal tuo*

splen-

ſplendore, quaſi ſvaniſcono; e ſe voleſſi alle tue proprie tener dietro, moſtrerei di non conoſcer punto me ſteſſo. Imperciochè ſe trovandoti ancora in vita, non poteron gli uomini parlando o ſcrivendo pareggiare le azioni tue, ſtanchi eſſi prima in lodare, che tu rallentato in far coſe degne di lode, or che ſe' cinto di nuova luce immortale, chi farlo potrebbe? Molti in vero oſar potranno di mettervisi: niuno venirne a fine. Ma ardiſcan pure, quando che per ſe i tentativi ſteſſi d' una qualche lode ſon degni. A me baſta il ricordare una ſola coſa, che reputo di tutta la tua vita paſſata, e teſtimonio chiariſſimo, e compendio d' ogni tua lode. Quel decreto, io dico, del Senato, col quale furono ordinate per la tua ſalute,

te pubbliche ſolenni preghiere, quaſi come in ſe rinchiudeſſe la ſalvezza comune. Non piacque a Dio che l'effetto riſpondeſſe al pio deſiderio. Ma per queſto ſteſſo, ſarei quaſi per dire, è coſa tanto più memorabile, e come Segno divino del tuo compiuto dovere in terra, e di quello che ad imprendere ti reſtava nell' altro Mondo; dove Scipione, per animare il ſuo Figliuolo Affricano a difendere la Repubblica, affermava eſſere un certo determinato luogo per tutti quelli, che la Patria aveſſero ſalvata, ſoccorſa, ampliata, dove ſi godeſſero una vita perpetuamente beata; nè per queſto abbandonaſſero il penſiero d' aver cura degli uomini. Godi adunque, o Marco, di coteſta tua Beatitudine, frutto de' tuoi meriti verſo

la Patria, e della tua somma pietà verso Dio; la quale se ti lascia tuttavia guardare alle cose umane, in ciò che è il rimanente del danno, abbiamo onde in qualche parte ritrar conforto. Ci restano a pascerci la vista i Simulacri di te e le Immagini, le quali quanto durerà la materia con che si formano, e le belle Arti saranno in pregio, non verran meno. Restano i Detti, e gli Scritti tuoi, che dureranno pur essi in eterno per la memoria de' fatti; ed in quelli, come per dolce incanto, potremo, qualunque volta ne piacerà, averti quasi presente, seguitare i tuoi consigli, ed i tuoi precetti eseguire. La propria forma dell' animo tuo da non potersi esprimere nè in bronzo, nè in marmo, nè in verun' altra maniera, quella pur ce la dan-

danno a conoſcere i coſtumi di SEBASTIANO , *di* JACOPO *Cavalieri* , *e di* NICCOLO' , *Figliuoli tutti dell' ottimo tuo Fratello : i quali non per queſto ſi arrogano la tua gloria , ma di quella fanno uſo , come di lume , onde render eſſi le loro azioni più luminoſe . Appreſſo queſto , veggiamo a te ſucceduto quel Principe , che tu meſſo avreſti in tuo luogo , ſtata che ne foſſe in tuo potere la ſcelta : tanto fervoroſo amico lo conoſcevi di te , e della Repubblica . Se la tua felicità divenir poteſſe maggiore , certamente , o* MARCO , *per sì fatti penſieri lo diverrebbe .*

AD LECTOREM.

PAucis te moror. Lucubrationem hanc ne temere scriptam putes. In iis quæ tibi occurrent de Cicerone, cogita quæsivisse me potius exercendi stili, quam Viri tanti oppugnandi occasionem. Cognosce simul non esse admodum difficile libertate in scribendo uti, salva in antiquos reverentia, a qua videtur hodie nimis descitum. In libri calce adieci Bonnevallii in primam ætatem hominis Animadversiones, tum quod per se lectu dignæ, sicut ejusdem reliqua sunt,

tum

tum etiam ut habeas, unde ſum aliqua mutuatus, quibus nullam idcirco appoſui in oratione notam. Cæterum vix credas quot exierint in vulgus de hac lucubratione commenta, quæ quaſi fuerunt occaſio mihi, ut eam putaverim eſſe aliquid, qui prius credideram eſſe nihil. Non nova mihi & mirabilia propoſui, quæ quorundam ſolet eſſe libido, ſed utile, expeditum, ab aliis traditum, quotidiana conſuetudine uſurpatum ſtudui reddere junctura novum. Judicia Sapientum & magni facio, & amplector. De levi quodam cenſorum genere non laboro, cui

. . . . . nec verba volenti
Sufficiunt (*a*) quotieſque aliquos parat edere queſtus
Sibilat, hanc illi vocem natura reliquit.

SI

(a) *Ovid. Metamorph. lib. 3.*



SI quod olim ſuperſtitio ſuaſerat, ut in arduis dubiiſque rebus ad exitum aſſequendum conſulerentur Oracula, id per mores noſtros liceret hodie, & veritatis ſpeciem aliquam contineret, una eſſet potiſſimum res, de qua ſcire vellem, quid Pithia foret ſciſcitantibus reſponſura. Scilicet in hoc primo laborum limine adoleſcentum veluti caterva ſtipatus ad aram Numinis accedens ſingulorum nomine ſic deprecarer. Maximo Deorum beneficio in lucem editi, atque ſuſcepti,

non ii ſumus, qui tranſigere velimus ſilentio vitam, quaſi voluptati corpus, animam oneri habeamus; ſed quem cum lacte nutricis litterarum amorem ſuximus, ita boni parentes auxerunt, ut nil magis quam præclaræ alicujus diſciplinæ poſſeſſionem & famam deſideremus. Ad hoc unice intenti tranſegimus non infeliciter elementa prima; Græcos, Latinos, Italoſque auctores haud magno cum labore evolvimus; & ſi qua ſunt in illis, ſunt autem multa, quæ nos, quippe diſciplinarum jejuni, adhuc ſuperare nequimus, ad ætatem & ingenium, cum adoleverint, ſuperanda remittimus. Noſtras qualeſcumque ideas & ratiocinia poſſumus verbis ad menſuram adhibitis explicare, & ubi ſoluta oratione velimus, verba, quorum prima & præcipua ſemper fuit cura nobis, verba, inquam, non invita ſequuntur; quod ſatis pro ætate ducimus, parati etiam loco laudis accipere

obie-

obiectam nobis identidem loquacitatem. Nunc ſuo tandem loco ſuſcepturi ea, quæ novatores aliqui in ſuis fere ſemper auſibus infelices, multo ante ſuſcepta, & cum crepundiis fortaſſe vellent; pars ampliſſimam rerum divinarum humanarumque ſcientiam; pars naturalium motus cauſaſque noſcendas; alii mathematica ſtudia, alii admirabilem illam diſciplinarum & artium dominatricem conflatam ex omnibus eloquentiam; alii demum ejuſdem momenti & ponderis alia; adſumus hic, ſciſcitamur, quid præſtandum ſit nobis, ne aut in diſciplinæ delectu, aut in aſſequendæ modis decepti præclara ſtudia videamus in noſtris veluti manibus contabeſcere; ſed ita utrumque obtineamus, ut cum fuerimus patriæ & ſocietati utiles, quo brevior eſt vita, eo longiorem noſtri memoriam efficere valeamus.

Sed quid vana confingo, quid oracula

quæro, perinde ac ad explendum animum præſto mihi non ſit illa ipſa Ars de diſciplinis & artibus pro varia temporum conditione, litterarum fortuna varia, vario ipſius humanæ mentis ſtatu & progreſſibus optime merita, Criticam dico. Quæ licet antiquis temporibus non aram quaſi dixerim ſolemnem & publicam, unde conſuleretur, habuerit; in quibuſdam tamen ingeniis a natura liberaliter educatis, privatam ſemper habuiſſe puto, ex qua vel non petita oracula funderet, ſuæ quaſi futuræ claritatis & celſitudinis lineamenta. Ego certe affirmare non dubitaverim, & Pythagoram, cum indixerit quinquennale ſilentium ſuis, & Platonem, cum e ſchola removerit ignaros Geometriæ, & M. Tullium, cum diſtinxerit hominum opiniones ab judiciis naturæ, & Horatium querentem de hominibus ætatis ſuæ pro legitima boni & pulchri menſura habentibus vetuſtatem,

ab

ab hac una fuisse excitatos ; & sic porro alios per omnes ætates tacitis occultisque suffragiis semper adjutos , donec indicta illa disciplinarum omnium , & ipsius humanæ mentis instauratione per magnum Baconum , neque illi certe dissimilem hac in parte Cartesium , cœpit in commune consulere , & de re qualibet indiscriminatim omnibus respondere . Sed quid ego plura , quasi de ignotis memorem ? Hanc igitur habeamus oraculi loco ; consulamus hanc responsa daturam , nullo interposito ministro , non metuendo obsignata annulo , non triduo post , sed ex ore velut ipsius , in ipso petitionis articulo cognoscenda . Jam facta petitio est , responsum jam redditum ; divinate . Nihil aliud quam antiquissimum illud , NOSCE TE IPSUM , tanta sapientia refertum , ut propterea non ab humano excogitatum ingenio crediderint , sed Deo unice referendum .

Quod ſi ita eſt, videtis, opinor, me non aliunde poſſe orationem deducere quam ab inſignis hujus effati dimetienda vi. Quod cum fecero, intelligetis me non tam vetera recoxiſſe, quo nihil communius, quam ad meliorem traduxiſſe uſum, quo fortaſſe nil laudabilius. Intelligetis etiam cum omnia præſtitero, quæ mihi hac in re dicenda propoſui, ad cognitionis menſuram, quam ſui quiſque habet, progreſſuram artem & diſciplinam, in qua ſe exercet.

PARS PRIMA.

SI diſciplinis & artibus ſenſus ineſſet aliquis, hiſque liceret expetere, quæ ſibi utilia putarent, quo illarum vota creditis evaſura? Eo ſcilicet, ut in quorum manus incidunt, perfectam prius, quantum humana conditio patitur, ſui ſcien-

tiam

tiam obtinuissent. Cur id, in secunda & tertia orationis parte intelligetis; nam primo loco, sicut dixi, qua ratione accipiam, & accipi oportere putem istud Nosce, videndum est. Alias quidem de hoc ipso plerisque vestrum audientibus verba feci, sed quæ tunc habui *Methaphysicam* agitans, non ita mihi modo probantur Criticam exercenti, ut in iis acquiescere tuto possim. Conscius enim mihimet sum (quid enim est cur dissimulem?) sequutum & me fuisse, sicut reliqui omnes, qui in hoc evolvendo effato se exercuerunt, (*a*) plausibilia magis, quam vera. Plausibilia dico, non esse nos corpus, sed animum; corpus quasi vas, aut aliquod animi receptaculum; quidquid a nobis agitur, ab

 ani-

(a) *Publica luce digna est Epistola Sebastiani Molini Senatoris Veneti de* Cognitione sui, *in qua ingeniose, vere, & utiliter philosophatur.*

animo agi ; præceptum Apollinis de corpore non posse intelligi , & similia ; quæ si placet , in fontibus Pythagoreis , & Platonicis, unde petita sunt, tametsi a religionis lumine dissita, sua quadam veritate non carent , sed ad naturam , ad experientiam, ad examen criticum provocata deficiunt. Quem propterea sequebar ducem Marcum Tullium primo Tusculanarum, velut ex interpretibus Apollinis unum , hac in parte nunc abnego ; & ajo tantum abesse , ut moniti hujus auctor respexerit , quo ipse putat , ad solam nimirum animi cognitionem , ut , hac a corporis cognitione seposita , totum præceptum desinat necesse sit in voces inanes , & omnino sapientia vacuas. Ea quippe prima & præcipua seu legumlatoris , seu consiliarii cura esse debet, ut non tam plausibilia proponat, quam vera , & præceptum cum facultate , & viribus eorum , quibus datur , exæquet.

Men-

Mentis humanæ natura, quemadmodum aliarum ſubſtantiarum carentium corpore, hujuſmodi eſt, ut nullam plane ideam, claram, diſtinctam, eidemque adæquatam concipere valeamus. Quinimmo ex maximorum Philoſophorum diſſidiis pro unaquaque ætate erumpentibus, & abſurditate jam plane evicta opinionum poſſumus libere pronunciare, id ſupra hominum captum eſſe, atque adeo etiam recipere, fore numquam, ut nos tamquam mentientes a poſteris redarguamur. Et qui primum & præcipuum in Philoſophia dixere παράδοξον, mentem, quæ cetera noſcit, ſe ipſam ignorare, magis quam reliqui cognoverunt. Qualiſcumque ſit cognitio, quam ſui habet mens, a ſe ipſa non habet. Quid? dicet aliquis. Ipſa ſubſtantia intelligens, ipſa intelligibilis, ipſa ſibi objectum par. Quid opus eſt pluribus, ut ſe ipſam poſſit ablegatis ſenſibus intelligere?

re ? Quid futura ſit ipſa a corpore ſejuncta modo non diſputo, ſed qualem in hac rerum conſtitutione ipſa ſe prodat tantum quæro; & invenio, ſubſtantiam quidem intelligentem eſſe per ſe, intelligibilem vero ex occaſione motuum cerebri. Quam de ſe habet ideam, ex eo habet, quod de ſuis cogitatis cogitat; ſed hanc recogitandi copiam, dum corporeis vinculis detinetur, totam debet organis, quæ illi primum cogitandi materiem ſuppeditarunt. Vides in parietem projectam pilam, & repercuſſam ? Hæc projicienti debet, & quem primum accepit motum, & illum alterum repercuſſionis. Illi ipſi, qui ad probandas ideas ingenitas ad Platonicam reminiſcentiam confugiunt, quidquid conentur corporeis motibus non indigere, fruſtra conantur; quippe non admiſſo in organis motu, ficta illa ſuperioris vitæ recordatio penitus evaneſcit. Nunc revertor ad Tullium.

Fie-

Fieri ne igitur poteſt, ut præcepta nobis ab Oraculo cognitio noſtri in ſolam cognitionem animæ deſinat: animæ, cujus natura aut nos plane latet, aut ſi qua ex parte ſe prodit, non ſumus niſi per corpus aſſequuturi? Non membra, aut ſtaturam, aut figuram noſcendam ait Cicero: ſed cur poſthabenda hæc, quibuſcum

Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem?
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tenuis.
Inde ubi robuſtis adolevit viribus ætas;
Conſilium quoque majus, & auctior eſt animi vis.
Poſt ubi jam validis quaſſatum viribus ævi
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus artus;
Claudicat ingenium, delirat linguaque, menſque;
Omnia deficiunt, atque uno tempore deſunt.

Hactenus (*a*) Lucretius, qui utinam ſtetiſſet hic! Quid enim verius atque elegantius? Sed heu peſſima, quæ conſequuntur! aliud

(a) *De rer. nat. lib.* 3. *v.* 431.

Tu vero, Marce Tulli, adeo ne tui corporis incuriosus, eidemque ingratus, a quo aliud si tibi natura dedisset, profecto non ille Tullius philosophicis in rebus magnus, in politicis major, in eloquentia maximus extitisses, qui, quod difficillimum inter mortales est, gloria invidiam vicisti, atque ea exegisti, quæ *nec Jovis ira, nec ignis,*
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas?

Non sumus corpora, inquis; at ne animi quidem sumus, si homines sumus; atque ista quæ dicis, si animo tantum diceres, animus non audiret. Hinc Aristotelis, (*a*) quem tu ipse Magistrum in hisce rebus appellare non dubitas, consilium est, ne dicamus animam cogitare, discere, misereri, irasci, & alia hujusmodi, haud magis animæ propria, quam si diceremus animam texere, animam ædificare, sed

(a) *Lib.* 1. *de anim. tex.* 64.

ſed talia præſtare hominem. Cur id? Quia ſcilicet illa animæ & corpori ſunt communia, & quæ ad duos veluti dominos pertinent, quamvis minime pares, non poſſumus alteri ſine alterius offenſione tribuere. Neutrum lædimus cum dicimus hominem, cujus omnis vis in animo & corpore ſita eſt. Pace tua igitur præceptam noſtri cognitionem, quam tu coarctas ad animum, liceat nobis ad corpoream machinam amplificare. Hinc illa ipſa noſcere, quæ tu numeraſti, (*a*) & ſanguinem, & bilem, & pituitam, & oſſa, & nervos, & venas, & omnem membrorum compaginem, & totius corporis figuram, temperiem, & vires. Concedimus ultro maximum eſſe, ac plane divinum animo ipſo videre animum. Sed *non eſt mortale quod optas*. Cur non æque magnum ac di-

(a) *Tuſc. lib.* 1. *cap.* 24.

divinum, quandoquidem possumus, videre animo socium animi; neque alio vocabulo appellaverim corpus, quo posthabito homo hominem noscere nequaquam potest; hominem dico, qualis est, & qualem Popius delineavit.

Studium, inquit, proprium hominis homo est, in Isthmo veluti quodam locatus, substantia mixta, ex lumine & tenebris, ex magno & parvo constans; non ad dubitationem scepticam factus, quia nimium sciens; non ad stoicam severitatem, quia nimium infirmus. Hæc inter contraria suspensus hæret, num faciendum sibi aliquid sit, an contra; Deumne se teneat, an brutum; corpori, an animo primas concedat; natus ad interitum; ratiocinans ad errorem; æque ignorans (sic in eo comparata ratio est) si nimium cogitet, vel parce nimis. Consiliorum & cupiditatum Chaos, in quo omnia confusa ma-

manent. Perpetuo deceptus, & resipiscens per semetipsum. Factus partim, ut sese attollat, partim ut decidat. Rerum omnium arbiter, & rerum omnium ipse mancipium. Solus veritatis Judex; & in errorem perpetuo præceps. Gloria, lusus, fabula mundi. (*a*)

Hoc quidem est SE IPSUM NOSSE; & si Oraculum non spectavit huc, ne faciamus quæso tanti sapientiam. Quid si dixero, desperata animi cognitione (nam pauca, minuta, incerta, perpetuis agitata dissidiis, quæ divinando, atque adeo etiam ratiocinando balbutire solemus, sunt pro nihilo reputanda) quid, inquam, si dixero, adnitendum quodammodo potius esse, ut scientiam corporis, quam animi com-

(a) *Sic ex epist.* 2. *de* Specim. hom. *latine vertimus, interprete Jo. Marsilio Cl. Botanices Professore, Anglicæ linguæ perito, & amico.*

comparemus ? Num metuere censorem debeo , quasi videar alterum nobis cum belluis , ut Sallustii verbis utar , velle super alterum collocare cum Diis commune ? Ita me Dii ament , quemadmodum utrumque in sua possessione relinquo. Sit illud materiæ fæce liberum , corruptionis nescium, immortale ; istud ex materia conflatum , corruptioni obnoxium , duraturum ad breve tempus ; illud ad imperium , istud ad servitium. Sed ubi maior apparet dissimilitudo , & varietas , ibi maior & acrior intendenda cura esse videtur. Hanc porro majorem varietatem, & dissimilitudinem ex parte corporis animadverto , potius quam animi ; & sic a natura provisum existimo, ut una eademque omnibus animi substantia sit. Opinionem vero existimantium inter animam , & animam differre maxime, & aliam inesse tibi oportere , ut Orator, ut Politicus aliam , aliam ut Dux exerci-

tuum

tuum sis evasurus, qui non aliunde ortam, quam vel ab ignorantia, vel a superbia dixere, decepti non sunt. (*a*) Scilicet ex ignorantia non videbant quomodo, una tantum animorum natura posita, alia sibi patere via posset ad explicandum quidquid discriminis est inter homines; præpediti superbia, putantes se de virtute posse cum Diis certare, quam nacti fuerant ipsi animam, stupidissimo cuique parem inesse, persuadere sibi nequibant. Cogitatu quidem, & dictu asperum videtur esse, Thersitis fuisse animam, qualis Achillis, & Agamemnonis. Non dissimilem a Tigellino habuisse Scipiadas; nec aliam immortales Fratres Philænos ab illis, qui attoniti aderant, dum se, vitamque suam fortissimi viri, vivi obruti, Reipublicæ condonabant. (*b*) Sed quanto

B ex-

(a) *Traitè de l' esprit de l' homme.*
(b) *Sallust. de bello Jugur. c.* 18.

explicatu difficiliora, imo inexplicabilia, sunt, quæ occurrunt admisso systemate de animorum diversitate! Eja, explicent per differentiam animorum, quid sit cur humilia quædam ingenia, quorum in fronte cernebatur desperatio veluti quædam proficiendi, sæpe florescant; contra vero grandia, sublimia, quæ tactura jurasses sydera vertice, aliquando marcescant. Explicent opinionum mutationes varias, queis sumus obnoxii, & perpetua quasi tempestate jactati.

Num hæc identidem, ut ita dicam, animæ mutata facies, ipsi est animæ tribuenda, quasi sit ipsa, quæ mutetur, neque in motu, quo certe caret ipsa, tametsi principium ejus & fons, consistat, quidquid eam vel ad virtutem informat, vel ad vitium perducit? Pone ex altera parte unam eamdemque in omnibus substantiam animæ; hinc tute rursus ad illa

ex-

explicanda converte ; non repugnat æqualitati , *alios aliis rebus ſtudiiſque teneri* : hæc quippe procedunt a motibus cerebri, cujus & varia eſt in omnibus diſpoſitio, & pariter in unoquoque mutabilis ; nec opinionum inter homines diſcrepantia , quippe æqualitas libertatem arbitrii non impedit , & ubi datum eſt velle & nolle, ibi etiam ſententiarum diſcrimina eſſe debent. (*a*) Hic niſi me alio properare tempus moneret , ad Sacros Codices orationem quoque converterem , ut vobiſcum una , Auditores optimi , multa recognoſcerem , quæ ad conciliandam rei fidem, & dignitatem videri poſſent graviſſima. Quid , exempli gratia , illa unius tantum hominis effecta creatio , qui terræ ſolitudines repleret hominibus, & omnibus per immenſa ſæculorum ſpatia futuris Parens exi-

(a) *Trait. de l'Eſprit de l'homme Ch. 2.*

ſteret ? Quid ipſa hominum ad divinam Creatoris imaginem conformatio ? Quid ipſum ineffabile Dei Verbum (hic mihi præſto eſtote vos Viri magni , quibus per divinam ſcientiam tanta cum veſtri nominis gloria productam , minus quam reliquis obſcuræ ſunt illæ tenebræ , quas divinus Opifex latibulum ſibi poſuit) quid, inquam, ineffabile Dei Verbum induens humanam formam , nec unius vel alterius peculiarem , ſed cum omnibus ſpecie communem ſuſcipiens animam ? Ejuſmodi hæc mihi videntur , ut pro eorum magnitudine expoſita , atque omni ex parte conſiderata cum forent , vim demonſtrationis haberent , non alio divinum Opificem manum , ſi ita loqui licet , & oculos collineaſſe , quam ad firmandum inter homines ſocietatis , amicitiæ , & mutuæ charitatis vinculum quam arctiſſimum. Ratio porro ſuadet facilius in hunc Spiritum uni-

nitatis fuiſſe homines conventuros ab una eademque ſubſtantiæ ſpecie informatos, quam ſi diverſam ſinguli nacti eſſent. Sed jam ſatis argumenti, cur oporteat & animum, & corpus noſcere ad exhauriendam ſui ipſius cognitionem. Videndum reſtat quomodo ab hac una tota diſciplinarum fortuna regatur.

PARS SECUNDA.

QUi dixere ſcientias ex oblivione, & reminiſcentia conſtare, ingenioſum aliquid dixerunt. (a) Mihi tamen verius, & ſimplicius ex ignorantia, intelligentia, & memoria dici poſſe videtur. Illi ſunt contemplati vel commentitium Platonis ſyſtema, vel fabulas, quæ neque ſemper myſteria continent, neque omnino

(a) *Grav. Rag. Poet.*

ſignificatione carent; fabulas de Latona, ſub qua indicatur oblivio; de Sole & Luna, quæ ſplendentia magis, quam reliqua aſtrorum corpora pro ſapientia habebantur, quam & ipſi Pindaro placuit Latoniæ prolis nomine ſignificare; de Junone, quæ, ſic indicante græco vocabulo ἥρα, eſt aer, ubi nebulæ caligineſque gignuntur, quæque interdixit pellici omni terra ad parturiendum, immiſitque ſerpentem, qui per totum terrarum orbem Latonam perſequeretur. Neque cum his principiis, ex oblivione & reminiſcentia conflatæ ſcientiæ male cohærent. Ego contra ipſam naturam conſidero. Conſidero cum Marco Tullio ignorantiæ tenebras, in quibus naſcimur; *paucos illos igniculos nobis a natura datos, quos celeriter malis moribus, opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat; ſemina ingeniis noſtris innata virtutum, quæ ſi adoleſcere li-*

ce-

ceret , *ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret* ; (*a*) hisque recte perpensis, conflatas ex ignorantia , intelligentia , & memoria deprehendo.

Ignorantia ab illa sciendi cupidine , qua sumus omnes inflammati & accensi , excitata prima lineamenta ducit , intelligentia adjuta sensibus , adumbrat , perficit custoditque memoria. Hisce positis fore ajo , ut cum suam quisque ignorantiam , intelligentiam , & memoriam noverit , id , in quo se exercet , sit maxime producturus. Quid ? inquies . Possumus ista ignorare ? Quod eorum externum est , ut ita dicam , & populare non possumus ; sed quod intimum , & arcanum , vereor , ut pauci noscant , pauciores quærant , cum quæsiverint & noverint, paucissimi in usu habeant. Scimus quidem omnes , ignorantiam esse

a) *Tusc. lib.* 3. *cap.* 1.

noſtrum veluti patrimonium. Hoc externum & populare. Noſcere præterea oportet hujus ignorantiæ indolem, quæ ſimplex & innocens ſicut modo eſt a natura, e ſuis educta latebris, mox exuit barbariem, ad veritatis, & ſapientiæ lumen facile aſſueſcit, & ingenuis artificiis exculta, ſic ad illud accedit, ut in illud quam ſæpiſſime ſe convertat. Non ſecus ac cometæ circa Solis axem ſe ſe moventes, qui ſic prope accedunt, ut ab eodem attracti in Solis naturam tranſeant. Hæc intima, atque arcana cognitio. Cui bono hæc? Ad diſtinguendam ſcilicet & arcendam naturalem & ſimplicem ignorantiam ab ejuſdem nominis, ſed diverſæ naturæ altera, quæ tamquam bellua fera, immanis, intoleranda, quo intendit cædem deſignat; quam non ratio, non veritas, non experientia impediunt, quominus vi ſua penetret venerabiles ſapientiæ receſſus, & puriora,

quæ

quæ in iis continentur, ſua quaſi ſanie contaminet. Quouſque enim arcere illam naturalem ab hujus contagio valeas, non ſolum nihil tale metuendum tibi eſt, ſed immo nihil illa pretioſius habes, non tam pro eo quod eſt, quam quorum cauſa eſſe poteſt. Qualemcumque enim diſciplinam profitearis, (neque enim pro hodierno inſtituto ad peculiarem ullam licet deſcendere) monitorem habes in illa perpetuum, ne opinionem pro ſcientia, veriſimilitudinem pro veritate admittas; nec quantum curioſitas humana patet, tantum & cognitionem patere putes; quarum altera in immenſum pertingit; altera anguſtis finibus eſt circumſcripta. Et quod omnium maximum duco, ne te efferas ultra modum per ea quæ aſſequutus es, illa tibi quaſi triumphanti ex tergo adſtat, non aliter ac Publicus ille, de quo Poeta : . . . . *Et ſibi conſul*

Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.

Quæ

Quæ ſane adepta moderatio inter clariora intellectus facinora jure collocari poſſe videtur, quippe quæ non ſine magna difficultate & labore paratur. Superanda enim ſunt duo maxima impedimenta, nimia confidentia, & nimia ſecordia, per quarum alteram plane tollitur, per alteram in quamdam veluti deſperationem degeneratur. Duo veluti infames ſcopuli, quibus intelligentia frangitur, coacta propterea morari curſum, ubi viæ ſupereſt ſpatium majus. Et ecce quomodo res ipſa nos manu duxerit ad patefacienda, quæ de ipſa oportet ſupra cetera memorare.

Debilem & infirmam eſſe humanam intelligentiam vetus querela eſt, & ab omnibus paſſim uſurpata. Sed vi ejus perpenſa quouſque procedat infirmitas noſcunt pauci, & ignorando plerumque in naturam vertunt, quæ hominum culpa eſt; quibus ſi dixeris induſtriam potius, quam intelligentiæ deeſſe

vim

vim, a vero certe non aberraveris. Non ego sum, qui velim, aut possim humanæ intelligentiæ ambitum præfinire. Affirmabo quidem cum clarissimis viris, partem quam in intelligibili hoc mundo plerique sibi eligunt occupandam, unicuique fortasse visam (quem enim amor sui non obcæcat?) ad columnas, ut ita dicam, Herculeas usque productam, nil revera esse aliud, quam punctum, in quo semetipsos coercuerunt, si comparari cum rei totius vastitate liceret. Punctum hoc in aliis, ut notat Lochius, (a) est genus unum hominum, quos audiunt, in aliis genus unum librorum, quos versant; in aliis idearum genus unum, quibus assuevere; ars, disciplina, institutum, in quo se exercent, posthabitis reliquis, quasi non essent. Equidem non repugno: admit-

(a) *De la Conduite de l' esprit.*

mitto etiam, ſi ita placet, & homines, & libros, & ideas, & reliqua.

Sed non ea profecto ſunt, quæ intelligentiæ capacitatem exæquent; non ea, quæ pariant utilitatem, quanta poteſt ab intelligentia parari. Quinimmo, ſi proprie loqui volumus, nihil aliud hoc eſt, quam velle in copia eſſe inopem, & in propria veluti regione exulare. Expergiſcimini igitur, Adoleſcentes, & mature diſcite figere oculos ultra limites, qui humanæ intelligentiæ nimis damnatæ, quia parum cognitæ, ab ignorantia, ſegnitie, commentis hominum, præceptoribus, populo, aliquando etiam ab ipſa fortuna, quæ in omni re dominatur, præfiniuntur: hinc alios noſcetis homines, alios libros, alias ideas, diſciplinas & artes alias, in quibus ſi intelligentia libere expatiaretur, ſileret fortaſſe, ſileret neſcio quæ verboſa ſapientia, ut verbis utar Dionyſii perperam jactis in

Pla-

Platonem, otiosorum senum ad juvenes inexpertos, (a) in qua discentes vel post mille annos, si tantum vita produceretur, semper pueri, neque habent antiquitatem scientiæ, neque scientiam antiquitatis. Videremus contra in ejus locum suffectam scientiam, quæ a rebus oritur mutationum nesciis, uno eodemque modo semper se habentibus, cui soli convenit scientiæ nomen; quippe quæ sola vim, nobilitatem, atque extensionem mentis coæquare potest. Intelligitis opinor quo de genere scientiæ loquar. De illa nimirum, quam Aristoteles *Posteriorum Analyticorum* libris perstrinxit, in quibus versari hoc anno debemus, sine qua nec veram demonstrandi artem habeas, nec perfecte quicquam de rebus intelligas; & quam nostrates Philosophi plerumque non noscunt, interrogati de-

(a) *Verulam. Nov. Org. l.* 1. *c.* 71.

despiciunt, inter inania reponunt. Quos tamen ego memorare non possum, quin statim de habitatoribus cogitem insularum, quæ Marianæ dicuntur. Hi nimirum tractu perquam longo maris a terra dissiti, se solos mundi incolas, & habitatores putabant; quinimmo vitæ commodis ita novi accidebant, ut non prius noverint usum ignis, quam ab Hispanis Catapulco ad Manilam navigantibus fuerint edocti. Sed hoc parum est. Mirum supra cetera videri debet, quomodo in tanta commodorum vitæ inopia, & rerum fere omnium ignoratione, fide ab Hispanis jam facta, reperiri alias nationes, & populos, penes quos artes, & disciplinæ vigebant, & omnia vitæ commoda abunde erant, se adhuc pergerent omnium felicissimos & sapientissimos prædicare. Traducite vos historiam, Auditores, quo traducenda, & si ad rem nostram videtur facere, plaudite

etiam

etiam, non mihi, sed Lochio, unde sum mutuatus. (*a*) Ego interea, unde digressus rediens, considero, ex eo quod homines in levissimis occupantur, non solum ab iis meliora non gigni, quæque digna magis essent hominibus, sed ea ipsa, in quibus versantur, sine experimento relinqui. Id ferme contigit disciplinis contemplatricibus, quæ fere contemptæ jacent, coactæ cedere locum artibus, queis primo rudibus, deinde commodis, postea excultis, perpetuo auctis numquam defuit hominum cura, neutiquam defutura, nisi prius hominum studia cupiditatesque deficiant. Illæ contra pro magna fortuna ducerent, si e suis dejectæ sedibus, ut sunt, aquarum more possent eo saltem ascendere, unde descenderunt. Neque aliud in causa est, nisi quod Verulamius animadvertit (*b*) ho-

(a) *De la conduite de l' esprit.*
(b) *Præf. nov. Org.*

homines scilicet neque *opes*, *neque vires suas bene nosse*, *verum de illis majora quam par est*, *de his minora credere*; *ita fit*, pergit ille, *ut aut artes receptas insanis pretiis æstimantes*, *nihil amplius quærant*, *aut se ipsos plus æquo contemnentes*, *vires suas in levioribus consumant*, *in iis*, *quæ ad summam rei faciant*, *non experiantur*. Sed quemadmodum disciplinæ contemplatrices, remota intelligentiæ vi, quæ illas auræ instar vitalis foveat, nutriat, fœcundet, sunt res emortuæ, & veluti supra basim statuæ, in quibus præter nomen nihil est additamenti : ita & mentis humanæ vis non exercita in illis, inertia & torpedine paulatim deficit, atque instar ferri sua quadam rubigine conteritur; ita utrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget.

Verumtamen de necessario mentis exercitio, non minus quam corporis, ad com-

pa-

parandos habitus, in quibus tum corporis, tum animi operum perfectio ineſt, dicemus alias. Unum adhuc velim animadvertatis, me, dum intelligentiæ vires commendo, dum exercendas ajo, dum in levibus & minutis non occupandas contendo, non idcirco indiſcriminatim ad omnia traducere; ſatis enim experientia ſumus edocti, nihil vel tentatum ſupra vires, vel invita minerva ſuceptum felici exitu commendari.

Reſtat Deorum maximum beneficium, memoria, quæ quo notior videtur reliquis, eo magis fortaſſe latet. Tot enim ac tanta ſunt, quæ memoriæ titulo circumferuntur, ut in vera ac legitima diſtinguenda facillime decipiantur & illi, qui ceteroquin decipi minus ſolent. Memoria eſt, ſexcenta Scriptorum nomina, ſententias, paginas, typographum, annum, uno ſpiritu recitare, & quæcumque audita, vel lecta eo-

dem ſtatim ordine, vel etiam inverſo repetere; memoria eſt ſuper re qualibet propoſita extemplo vel orationem contexere, vel carminum millia proferre; memoria eſt, quæcumque in ſermonem cadere poſſunt, vel mordaci aliqua ſimilitudine perſtringere, gravia quæque, ac ſeria in jocum vertere, vel contradicendo & cavillando quidvis eludere. Verumtamen hæc, & ſimilia recenſita a Bacono, (*a*) quæ ingenio aliquo atque uſu aliquando ad miraculum amplificantur, laudanda negat ultra funambulorum, & mimorum agilitates & ludrica. Quinimmo ſic utraque ſimul coniungit, ut unum ab altero experimenti genere non diſtinguat, niſi quatenus unum enervat corpus, alterum animum. Ceterum præter admirationem, quam primo aſpectu pa-

(a) *De augm. ſcient. lib.* 5. *cap.* 5.

pariunt fortaſſe aliquam, utrumque per ſe nihil habere contendit, quod ſatis hominem deceat.

Ego mitius agens, ne videar injurioſus nimis in illos, qui talia præſtare poſſunt, & ſua ſuis relinquens, memoriam tantum a memoria diſtinguo; memoriam ſcilicet, quæ memoria ſemper manſura eſt, neque ultra procedit; ad quam pertinent portenta, quæ audiſtis; a memoria, quæ aliquando, ut ita dicam, memoriæ natura exuta, in ſcientiam migrat. Illam quantum decet laudo; hanc & maxime laudo & noſcendam propono, tamquam cognitu difficilem, quippe quæ nihil, vel parum habet externi, per quod commendetur. Locuplex eſt, ſed non jactabunda, exculta, ſed non fucata, liberalis, ſed non profuſa, varia & multiplex, ſed compoſita; non multa affectat, ſed quæ idearum tantum & ratiociniorum, quam reconditam habet ſe-

riem, perficiat. Quidquid retinet, cum principiis retinet unde profectum, cum finibus, quos spectat, cum nexu, quo cum aliis jungitur, cum relationibus, per quas dilatatur, cum adjunctis necessariis, & propriis, quæ comitantur. Singula porro, instar apium, quæ . . . . . *liquentia mella*

Stipant, & dulci distendunt nectare cellas, ita distribuit, & suis unaquæque habet disclusa locis, ut quocumque tempore provoces, jam non obtrudentem res pro rebus, non dubiam & ancipitem, quid reticeat, quid proferat, quid prius, quid posterius exhibeat, sed paratam semper invenias ad desiderii mensuram tibi omnia fideliter ministrare. Quinimmo quam sæpissime fit, ut suorum vota anteveniens, etiam non evocata prosiliat. En illa memoria, illa quam Plato, & Aristoteles fulcrum sapientiæ, sensuum, atque intelligentiæ custodem dixerunt; & quam ego alias, cum pro Rhe-

to-

torica caufam egi, (a) quæ ultimo edifcenda loco proponebatur, plerifque veftrum audientibus commendavi, commendaturus quotiefcumque ferat occafio contra imperitos, qui nefcientes memoriam a memoria diftinguere, abfolute pronunciant inutile pondus, impedimentum fcientiæ, non quod fortaffe ita fentiant, fed ut fucum faciant ignaris, & novi aliquid dicere videantur.

Sed jam audio, qui dicat: Hæccine illa fpeciofa & recondita cognitio, quam paulo ante pollicebaris, & ad quam affequendam tute nobis viæ comitem propofuifti? Tantone orationis apparatu fuit opus ad exhibenda, quæ funt vera quidem, fed jamdiu omnibus perfpecta, & cognita, & quæ in quotidiano fcholarum ufu verfantur? Ita quidem effe deberet, fed non eft ita. Putat enim fe ex amoris præftigio quif-

(a) *Vid. Acroafim ab Auctore editam an.* 1760.

quisque sui intelligere, & bene facere, quod neque satis intelligit, & præpostere facit, in suismet erroribus sibi placens, quasi alter Æneas, qui in admiratione filii detentus, jam non videbat qualis erat, sed qualis ex artificio Veneris apparebat.

Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,
Os, humerosque Deo similis, namque illa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores. *(a)*

Quæ cum ita sint, an non est, cur jure initio dixerim, id unum exoptaturas disciplinas, si loqui possent, ut in manus illorum inciderent, qui se prius bene novissent? Quanto igitur magis ignorando, intelligendo, recordando ad prædictam ignorantiæ, intelligentiæ & memoriæ normam accedimus, tanto magis ad scientiæ perfectionem accedimus. Hoc au-
nis

(a) *Æneid. lib.* 1. *v.* 588.

tem quid eſt aliud, niſi præbere diſciplinis modum, quo non ſolum mutari poſſint in melius, ſed, quod difficillimum videbatur Verulamio, etiam in majus. Sed id non prius præſtiteris, quam tui cognitionem fueris aſſequutus, animi ſcilicet, & corporis; quandoquidem actiones animi, quas nos principes appellamus, græci vero ἡγεμονικάς, jam trahunt corpus in conſenſum, & ipſa quodammodo corporis vitia participare videntur. Quare vir magnæ auctoritatis Galenus, (a) in philoſophicis & naturalibus, quemadmodum illud quod dicimus ingenii acumen, grece ἀγχίνοιαν, facilitatem diſcendi, memoriam validam, opinionum conſtantiam, ad ſubtilem quamdam ſubſtantiam cerebri, facilem ad ſuſcipiendas formas, ſtabilem, & firmam ad retinendas traduxit, ſic in contrariis contra-

(a) *Ars Medicin. c. 12.*

enim validius reliquorum malorum remedium voluntas eſt, tanto eſt difficilius, illam ab omni labe tueri integram, ut quo res poſtulat, cum fuerit traducta, nulla ex parte deficiat. Heu enim qualia, & quanta, quibus culpari ſolet! Omittenda non ſunt Leonis Magni verba, quæ paucis complectuntur & quidquid ei vitio vertitur, & ſimul oportet de ipſa noſcere ad perficiendam cognitionem noſtri. „Voluntas, inquit, hominis vaga, incerta, „infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus „tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ quam virtutum avidior, famæ „quam conſcientiæ diligentior, & per omnem „ſui experientiam miſerior fruendo iis, quæ „concupiverit, quam carendo, nihil in ſuis „habet viribus niſi periculi facilitatem. (*a*)

D Si

(a) *De vocat. omn. gent. lib.* 1. *c.* 6.

Si hæc ſunt voluntatis vitia, unde petenda ſalus? Non aliunde quam, Deo ferente opem, a voluntate ipſa: ipſa ſibi remedium, ſi fuerit corrupta; ipſa ſibi præſidium, ne corrumpatur.

PARS TERTIA.

EXpoſui hactenus quænam ſuimet eſſe debeat cognitio, ceſſura feliciter in diſciplinarum & artium commodum; reliquum eſt, ut hæc eadem in Doctoribus conſideretur. His quippe eſt neceſſaria, ut & ſeipſos regant, & alios regere valeant, quibus nondum per ætatem quicquam audere licet. Cum porro Doctores dico, hoc uno vocabulo amplector omnes, qui quacumque ratione ac tempore præſunt liberis educandis. Intereſt enim maxime, ut quam çelerrime fieri poteſt, obviam præ-

ju-

judiciorum contagio eatur, (*a*) ingruenti jam nobis omnibus vix in lucem eductis, nisi etiam erumpenti in ipso utero matris; & a quo, dum maneat actionum & cogitationum mentis cum rebus corporeis vinculum, immunes plane esse non possumus.

Hinc apparet quantopere sit necessaria utriusque substantiæ cognitio iis, qui suam qualemcumque præstant operam liberis, ad regendam sic institutionem, ut neque ex parte animi, neque ex parte corporis quicquam sit, in quo deficere videantur. Verumtamen si nihil est dissimulandum, ita in institutione liberorum a natura, ipsaque ratione descitum est, eo præsertim tempore, quod inter nutrices & magistros intercedere solet, ut quid corpori, quid animo sit consentaneum, ignorare penitus videamur. Attingamus primum aliquid de

 cor-

(a) *Animadvertenda hic multa de Russajo sæculi auctore, in alia dissertatione ad hoc instituta dabuntur.*

corpore, ut ratione & via procedat oratio. Credo ſcilicet, poſtulare naturam, ut vix natus infans quaſi mancipium repetitis vinculis conſtringatur, quibus perterrefactus animus cur ſe non inde ſubducit? Interea vero quæ vitioſæ notæ ob retardatum ſanguinis motum contrahi non debent ab illo recenti ac tenuiſſimo corpore, cui, quam aperit natura, via ad incrementum facilis & expedita ſic intercluditur, ut mirari jure poſſimus & miraculi loco ponere, quomodo infantes inter tot nodorum anguſtias, in artus & hominum corpora excreſcant. Staret utinam hic res, neque hæc nimia quaſi ſævities, a cultu illo nimio & ſuperſtitioſa mollitie exciperetur. Ex quo plerumque conſequitur, ut ictibus aeris, & pravis ejuſdem conſtitutionibus obnoxia magis corpora fiant. Hinc illæ temperamentorum texturæ enervatæ, exiles neque aptæ ad exercenda ea vitæ mune-

ra,

ra , quæ non magis in virtute animi , quam in robore corporis ſita ſunt. Non ego is ſum , qui revocare ad vitam velim mores veterum Germanorum , quorum natos in omni domo nudos ac ſordidos , dominum & ſervum nullis educationis deliciis diſtinctos , inter eadem pecora , in eadem humo degere cerneres , donec ſepararet ætas ingenuos , virtus agnoſceret. (*a*) Sed quod ſapientes viri monent , (*b*) qui hac de re cum laude ſcripſerunt , hoc tantum vellem , ut nobiſmet propoſitis nationibus non barbaris ad imitandum , cæli ſemper ratione habita , & proportione ſervata , tantum hac in parte eſſet de moroſitate detractum , ut hyemem , æſtatem juxta pati aſſueſcerent , & reliqua tolerare , unde fir-

(a) *Corn. Tac. de mor. Germ.*

(b) *Vid. inter cæteros Gregor. Breſſanum in ſuo de liber. educat. libello , in quo habes ſanam philoſophandi raionem cum ſtili ſimplicitate conjunctam .*

firmior fit corporis habitudo ; eo namque definit plerumque res , ut quidquid detrimenti corpora capiunt , totum hoc in animorum perniciem vertat.

In quorum quidem animorum regimine ſcire velim , quouſque noſtra ſit progreſſa cognitio ; ſed quid dico progreſſa , ſi nondum videtur incœpta ? Niſi forte peritiam dixeris primo ætatis quinquennio , eo ferme tempore , in quo lineamenta prima cogitationis apparent , in ipſo veluti ſinu erroris , mollitudinis , blandimentorum omnium relinquere liberos. Sic enim appellari oportere puto , neque aliter , illud muliercularum regimen , cui ſumus obnoxii ; quod ſi ſaperemus , totum deberet eſſe juris philoſophorum. Quæ namque ſunt primum tradita , ea in animis inſident , & prout ætas procedit , ſic & ipſa procedunt , noviſque ſemper adaucta viribus totam vitam comitantur. Non aliter in adoleſcen-

te

te planta tenuiſſimum inflictum vulnus; paullatim ſic dilatatur, ut quod primo oculorum fugiebat aciem, indelebile jam factum videas totum fere ambitum adultæ arboris occupare. At quænam, amabo, ſunt iſtæ liberorum præſides, eo præſertim tempore, quo nullum fortaſſe aptius ad ferenda ſemina, quæ non eludant meſſem fallacibus herbis? Numquid illæ majores natu propinquæ a Tacito commemoratæ & deſcriptæ, quarum probatis ſpectatiſque moribus omnis familiæ ſoboles committebatur, coram quibus neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhoneſtum factu videretur; & non modo ſtudia curaſque, ſed remiſſiones etiam luſuſque puerorum ſanctitate quadam, & verecundia temperabant? (*a*) Utinam tales adeſſent; neque enim philoſophis indige-

re-

(a) *De orator. Dialog.*

remus. Sed jamdiu in iſtarum locum ſuffectas vidimus ancillas, & ſervos plerumque viliſſimos, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatos, qui fabulis & erroribus teneros ſtatim certant animos detinere. (*a*) Non deerit fortaſſe, cui inane aliquid & ridiculum videatur de philoſophis cogitare, ubi de prima puerorum ætate agitur; quæ profecto nil habere videtur, quod cum tanta nominis gravitate conveniat.

